Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8293
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

expertum fuit tempore sancti Ambrosii Quo in trunco apum
hostia consecrata per unam mulierem fuit servata et abscondita
Cuius miraculi quod ibi accidit signum hodie habetur in mediolano
videlicet monstrancia cerea quam apes corpori Christi fecerunt
et sic patet — De secundo quod qui porrigunt corporis et sangui-
nis Christi sacramentum laicalibus sub utraque specie sacramen-
tali peccant contra totam sacram scripturam veteris et nove
legis. et sanctorum patrum ab ecclesia approbatorum. Quod hoc
est contra catholicam et Romanam ecclesiam.
Restat iam videre tercium quomodo peccat communicans populum
laicalem sub utraque specie sacramentali contra catholicam et Romanam
ecclesiam. Nam catholica et Romana ecclesia videns et consi-
derans quomodo multi errabant communicantes populum laicalem sub
utraque specie sacramentali. Quidam ex simplicitate ut beatus
Cyprianus et sanctus Donatus et alii plures ut prius pa-
tuit Quidam ex pura malicia ut erronei. ut heretici. ut
Nestorius et Pellagius. et eorum sequaces. et pseudo prophete
qui deceperunt Corinthios dicentes. sicut quod nec Moyses nec
Samuel nec Christus mandavit. sed sanctus Paulus consulit
ut mulier non velato capite ecclesiam non intret. alias si
non est velata tondeatur in turpitudinem. i Cor xi Sed
Christus mandavit ut eius carnem manducemus. et eius
sanguinem bibamus. Joh vi capitulo dicit Nisi carnem filii
hominis manducaveritis etc. Ista astucia pseudo prophete decepe-
runt Corinthios. quod ipsi sub utraque specie sacramentali
communicaverunt non tantum sacerdotes sed et laicales populi
quod tamen Christus nullibi mandavit. per contrarium prius allega-
tum quod laicales debeant sub utroque communicare. nisi offerendo
tantum ut prius ostensum est per scripturam veteris et
nove legis. Considerans autem catholica et Romana
ecclesia errores illos circa multos et computans veterem
legem ad novam i figuras ad figuratum que figure
ostenderunt et ostendunt quod laicales debent tantum
sub una specie panis communicare. et offerentes sub duabus
speciebus scilicet panis et vini pro rebus iam premissis statuit
sanxit et confirmavit canonibus decretis decretalibus
et bona consuetudine a multis centenis annis cum vin-
culo sub pena anathematis. et eterne dampnationis
ut amodo nullus communicaret populum laicalem sub
utraque specie sacramentali. quam sanccionem quilibet
sacerdos fidelis debet observare. ut non porrigat lai-
calibus populis sacramentum domini sub utraque specie
sacramentali scilicet panis et vini. Et hoc idem debet observa-
re omnis laicalis populus ut non suscipiat corporis et san-
guinis domini sacramentum sub utraque specie sacramentali
sed sub una tantum. scilicet sub specie panis et non sub specie